

**Dissertatio inauguralis medica qua disquiritur utrum sententia
Boerhaaviana an Stahlianæ præstantior sit ad praxin medicam ... /
[František Evžen Ihl].**

Contributors

Ihl, František Evžen.
Universität Altdorf.

Publication/Creation

Altorfii Noricorum : Typis Joh. Georgii Myeri, [1748]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/mybqq67>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Ch. Povel

29907/P

53050

Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QVA DISQVIRITVR

VTRVM

SENTENTIA BOERHAAVIANA
AN STAHLIANA PRAESTANTIOR SIT
AD PRAXIN MEDICAM

(1. Boerhaaviana est praestantior)

QVAM

DIVINIS SVB AVSPICIIS

CONSENSV ET AVCTORITATE
GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
IN CELEBERRIMA ALTORFENSIVM VNIVERSITATE

PRO

GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN ARTE MEDICA HONORIBVS
AC PRIVILEGIIS LEGITIME IMPETRANDIS

D. XVIII IVN. A. S. R. MDCCXXXVIII.

PVBLICE HABEBIT

FRANCISCVS EVGENIVS IHL

E THERMIS CAROLINIS BOHEMVS

A. A. L. L. ET PHILOSOPHIAE MAGISTER.

ALTORFII NORICORVM

TYPIS IOH. GEORGII MEYERI VNIVERS. TYPOGR.

1748

11 53.
3

DVRETUS fol. 267.

*Fremant licet omnes; dicam tamen quod sentio,
maiores scientiae et praxeos ubertatem com-
parari a studioso Hippocratis uno die, quam ab
istis pragmaticis uno saeculo.*



ILLVSTRISSIMO
ATQVE
EXCELLENTISSIMO DOMINO
DOMINO
CAROLO GOTTHARDO
DE
SCHAFFGOTSCH

SACRI ROMANI IMPERII COMITI
ET SEMPER FREY, DE ET IN KYNAST, LIBERO
BARONI IN TRACHENBERG, HEREDITARIO
DOMINO DYNASTIARVM KYNAST,
GREIFFENSTEIN ET GIERSDORF
NEC NON DOMINO IN
BOBERRÖHRSDORF

SACRAE ROMANO-CAESAREAE
IN GERMANIA HVNGARIA ET BOHEMIA
REGIAE MAIESTATIS INTIMO ACTVALI
CONSILIARIO ET CAMERARIO REGIO
SVPREMO AVLAE-IVDICI FEVDALI SVPREMI
REGII GVBERNII ET PERHONORIFICI COLLEGII
COMMERCIORVM IN INCLYTO REGNO
HEREDITARIO BOHEMIAE CONSILIARIO
AC SILESIAE DVCATVVM SVVIDNICENSIS
ET IAVRAVIENSIS SVPREMO HEREDITARIO
AVLAE PRAEFECTO ET AVLAE
IVDICI

SACRVM

ILLVSTRISSE ATQVE EXCELLENTISSE
SACRI ROMANI IMPERII

COMES
DOMINE AC MAECENAS
GRATIOSISSE



IG ILLVSTRISSE
NOMEN TVVM, ILLV-
STRISSE S. R. I. COMES,

quod vel ultro provocat vota venerantium,
mihi etiam animum addidisset; nunquam essem
eo audaciae progressus, ut has schedas Acade-

micas in conspectum ILLVSTRISSIMAE
EXCELLENTIAE TVAE committere,
et sub umbra incredibilis humanitatis TVAE,
ad gratiam TVAM, qua nihil mihi exoptatius
pretiosiusque esse possit, adspirare, voluisssem.
ILLVSTRISSIMAE ET ANTIQVISSIMAE
FAMILIAE TVAE, quae iam aurea Czechicae
Gentis aetate efflorescere coepit, et innumeros
Heroes, toga belloque praestantissimos, extulit,
tantus est splendor, tantaque rerum gestarum
gloria, ut in eximio maximarum dignitatum
fastigio posita, nulla videatur accessione reddi
posse illustrior. TV ipse tamen, DOMINE
EXCELLENTISSIME, quamvis multum
referas acceptum tam vetustae tamque splen-
didae profapiae, nihil contentionis et studii a
primis annis TIBI reliquum fecisti, ut avitam
istam laudem non tuearis modo et propages;
sed augeas etiam, longeque superes. TE enim
DEVS

DEVS IMMORTALIS admirabili quasi
solertis naturae manu finxit ad summum decus,
quod omnium animos ad se convertit. In TE
virtutis praestantia, atque indulgentia fortunae,
effusissime sua congeffit munera, ut in excelso
dignitatis gradu, in quem suffragatione meri-
torum TVORVM collocatus es, non tam
TE gloria MAIORVM illustret, quam a TE
illustretur. Quidquid enim admirabiles reddit
magni nominis Proceres, istud in TE suspici-
mus. Illa vis ingens animi et ingenii, iis robo-
rata artibus, quae ad ornandam tantam perso-
nam desiderantur, summa prudentia, mirifica
consilii praesentia, invicta constantia, summa
gravitas, inusitata comitate temperata, singu-
lare de omnibus bene merendi studium, et
incredibilis cura ac dexteritas in administrandis
gravissimis muneribus, quae TIBI sunt con-
credita, non modo nunc in omnium ore sunt,

sed omnium etiam saeculorum memoria celebrabuntur. Huc accedit, quod ab ipsis incubulis in contubernium TVVM adscitae sunt Musae non vulgares, sed illae, quae magnis excelsisque mentibus singularem afflant venerationem. Nihil enim tam reconditum, sive in naturae mysteriis, sive in aliarum rerum scientiis, quod non sagacissime scruteris, et mente capacissima comprehendas. Haec et cetera virtutum fortunaeque ornamenta, quae in TE effulgent innumera, et quorum laudibus commemorandis prorsus impar est ingenii mei tenuitas, non potuerunt non AVGVSTI AVGVSTAEque summam gratiam, qua cum maxime flores, TIBI devincire; quorum iudicio probari, est orbis terrarum ornari testimonio. Cum ergo non cives solum, sed etiam exteri, illustrissimum NOMEN TVVM certatim colant, ac reverentur; non indignaberis, spero, DOMINE AC
MAECE-

MAECENAS GRATIOSISSIME, TIBI hanc
qualemunque exercitationem Academicam in-
scribi atque dedicari. Quoniam enim huc-
usque bonis literis, et figillatim arti salutari,
studui, et in his pro virili parte elaboravi, ut
tandem utilem quandam operam societati hu-
manae praestare possim; id pietati meae nunc
convenire credidi, ut, his ipsis schedis, TIBI
consecratis, animum ad perpetuam summa-
rum virtutum TVARVM, immortaliumque
meritorum, venerationem compositum publi-
ce testarer. Summam proinde votorum con-
secutus mihi videbor, neque parum ad meliora
quaeque conanda erigar, si hoc quaecunque
demississimi cultus monimentum sereniore
fronte admittere sustineas, aut, ubi omnino
audacior visus fuero, veniam deprecanti per-
clementer concedas. Quod reliquum est,
NVMEN AETERNVM religiosissime precor,

ut

ut TE, DOMINE ILLVSTRISIME, in singulare huius aevi ornamentum divinitus datum, iubeat quam diutissime, quamque felicissime, vivere; utque ILLVSTRISSIMA DOMVS TVA, omni optandarum rerum affluentia cumulata, perpetuo vireat floreatque!

ILLVSTRISSIMAE
EXCELLENTIAE TVAE,
DOMINE AC MAECENAS
GRATIOSISIME,

*Cultor et cliens
omni pietate atque obsequio
devotissimus,*

FRANCISCVS EVGENIVS IHL



PROOEMIUM.



Um utramque sententiam, Stahlianorum nempe et Boerhaavianorum, hac in dissertatione inaugurali examinandam mihi proposui, eo fine, ut inveniam, quatenus earum praestantior sit ad praxin medicam feliciter prudenterque exercendam; facile praevideo, me potissimum in duplicis generis obiectiones incurrere. Alii enim opponunt, hanc quaestionem dudum ab aliis motam, agitatamque esse, multosque, qui hac de controversia extant, libros laborem istum mihi iam praeripuisse. Alii vero, qui litem hanc, utpote multis difficultatibus ad convincendos antagonistas implicitam, nondum penitus decisam esse autumant, tantum non vitio mihi vertent, quod teneros humeros meos, tanto oneri impares, cui ferendo tot viri fortes et egregii insudaverunt, tam gravi operi subiecerim. At vero, ad illos quod attinet, probe memini, Stahlianorum et Mechanicorum dogmata, inter se diversa, a non paucis satis quidem haecenus

agitata et controversa esse ; eam vero quaestionem , de qua seorsum hic agere mecum constitui , nondum hucusque satis dilucidatam esse recordor. Theoreticis enim partibus potissimum alii adhaesere , et minus solliciti fuere , quatenam istarum sententiarum in praxi medica maiorem utilitatem exhibeat , an vero quaedam illarum damnum potius in artem medendi inferat ? Hanc ob causam spero , me opprobrium supervacui laboris haud promereri , sed necessitatem potius utilitatemque huius investigationis satis inde elucescere. Ad alteram quod pertinet obiectionem , mihi quidem haud adeo sum suffenus , ut credam , me gravissimo huic themati satis elaborando sufficere : sed si in magnis etiam voluisse sat est , hoc magis confido , benevolum lectorem tenuitati meae aliquid daturum esse , quo certius est , neminem solum intricatas has controversias prorsus extricasse , quin alteri parti nova excipiendi materies superfuerit. Satis mihi erit , si aliis , iudicio et experientia praepolentibus viris , aliquam dederim occasionem , penitus hanc in rem inquirendi , donec tandem pluribus cum rationibus docere possint , quatenam sententiarum maiorem in theoria evidentiam , certiorumque in praxi usum , exhibere valeat. Haud enim repugnabo , ei subscribere et assensum dare , qui meliora me docuerit. Inter ea sicuti studium veritatis , et desiderium promovendae salutis humanae probos decet homines : ita DEVM Omnipotentem , tanquam largitorem omnium bonorum benignissimum , supplex oro rogoque , ut ex fonte suo inexhausto Sapientiae mihi clementissime largiatur cognitionem hac in re necessariam , cuius ope non modo Sanctissimi Nominis sui gloriam , sed salutem etiam hominum , pro viribus promovere valeam !

§ I.

INter tot differentes, quae extant, medicorum ^{De necessitate} sententias nostris temporibus prae aliis eminent ^{et utilitate} duplicis generis placita, quae Viri, scientia, digni- ^{huius investi-} tate, meritisque in re medica illustres, HERMANNVS BOERHAAVIVS, Lugdunensium Medicorum quondam Antistes, et GEORGIUS ERNESTVS STAHLIVS, olim Hal- lensium Doctorum eximium decus, et Archiater de- mum regius, tam e cathedra docuerunt, quam in scriptis suis medicis promulgarunt. Duplex inde secta medicorum nata hodieque pervulgata est, quorum alii *Boerhaavianos*, alii vero *Stahlianos*, se publice pro- fitentur. Equidem, si parum inter se discrepant utrorumque dogmata, nihilque periculi involverent; perinde esset, cuinam doctrinae se aliquis addiceret. Quoniam autem non nisi una est veritas, et vicis- sim ex uno, quem admittimus, errore plures sequi solent; hinc tanto magis interest, utrorumque sen- tentias inter se discrepantes sub examinis incudem re- vocare, quanto graviora damna non raro ex erro- ribus in medicina emergunt, ubi de vita hominum servanda, morbisque sanandis, occupatum decet esse medicum. Sunt enim, qui aut non intelligunt, aut non curant, an et quomodo utrorumque virorum dogmata inter se differant; ideoque mirum non est, si dubii haereant, et fluctuantes animo nesciant, cuinam parti assentiri fas sit. Alii auctoritate alteru- trius viri, vel docentium persuasionibus ducti, alteri parti tenacissime adhaerent, et quicquid argumento- rum ab altera parte afferatur, aut negant simplici- ter, et infensa mente repudiant, aut contemnunt,

et iusta investigatione indignum habent. Alii denique in eo sunt, ut utrasque sententias, etiamsi aperte sibimet invicem contradicentes, ac e diametro oppositas, inter se conciliandas assumant, coniungantque. Denique pauci norunt, qualia ex inconsiderato assensu redundant vel damna vel commoda, aut quaenam doctrinarum istarum plus certitudinis, et evidentiae prae se ferat, quae vero in noxios seducat errores. Has ob causas non minus necessarium, ac utile, existimo, si examinavero: utrum *Boerhaavianum*, an *Stahlianum*, systema medicum sit praefendum? Ita nempe verum a ficto, bonum a malo, utile ab inutili, melius discernemus, et intelligemus, cuinam, tanquam certiori, et ad usum therapeuticum magis accommodato, iuste subscribendum, salutique aegrotantium melius consulendum, errorum autem pericula evitanda sint.

§ II.

Disquiritur,
quaenam theoria
generatim
melior sit ad
praxin?

Ne a fine mihi proposito recedam, necesse est, ut in examine dogmatum STAHLII et BOERHAAVII potissimum ad utilitatem eorum in sanando extantior respiciam. Antequam autem speciatim sententias eorum differentes aequo animo ponderem, et disquiram, quaenam istarum doctrinarum maiorem in praxi medica usum praebet; operae pretium erit, prius generatim dispicere, *quaenam theoria melior sit et praestantior ad morbos certius felicisque sanandos?* Sine dubio illa praefenda, quae ab *experientia* et *ratione*, tanquam firmioribus cognoscendi et convincendi argumentis, deducitur, et quae non modo *a priori*, ut aiunt, certioribus et evidentioribus fundamentis innititur, methodumque meden-

medendi cum sana ratione convenientem suppeditat, sed etiam *a posteriori*, sive *ab effectu*, per secundos praxeos successus ita confirmatur, ut bene inter se conspirent ratio et experientia, theoria vera et therapia felix. Siquidem ex tali theoria, quae genuina est, talia quoque fluant oportet consuetudina, quae inter se exacte conveniant, nec opus habeant, ut fictis rationibus vacillantem theoriam suffulciamus.

§ III.

Tanta quidem vis est experientiae, ut homines, *An, quae a sola experientia?* ea, quae eveniant, sensuum ope intelligentes, ad assensum non tam alliciat, quam impellat plane atque cogat. Ideoque non dubito, fore, qui mihi obiiciant secundos curationum successus, quos non minus in Boerhaaviana, quam Stahlina, sectae addictis experimur. Si vero utrique non raro pari fortuna in praxi fruuntur; in aprico esse autumant, theoriae discrepantiam parum aut nihil in medicina feliciter faciendi efficere, nec multum interesse, utrum hanc vel illam sententiam amplectamur, dummodo exoptatus eventus voto respondeat, et aegroti sublevantur ac convalescant. Neque vero negaverim, utramque doctrinam insignis famae medicos passim ostendere, qui non minus felicem mutuo praxin exerceant, ac de palma in medendi peritia concertare queant. At enim vero, si quaeras: utrum methodus medendi cum theoria eorum exacte conveniat; an vero utrique medicorum idem exequantur? facile intelliges, eos re ipsa inter se conspirare, iisdemque remediis morbum expellere; verbis autem tantum et rationibus dissentire, et a se invicem discedere. Nec pauci medicorum, si ar-

si artem suam aliquamdiu exercuerint, ad theoretticas, quas olim didicere, sententias parum respiciunt, sed regulis et cautionibus potius therapeuticis, ex fida aliorum observatione collectis, unice inhaerent, easdemque data occasione prudenter applicare student. Ecquis autem est, qui a felicitate praxeos eorundem ad veritatem et praestantiam theoriae concludat? Praxin exercent mechanicam, et theoriam urgent extolluntque organicam. Monent, ad naturae conamina ut attendamus, salutare eius motus promoveamus, noxios vero corrigamus, ac in primis Hippocratem sequamur, qui naturalem morborum decursum optime delineans viam felicitis therapiae et prudentis prognoseos monstraverit. At potissimum in definitione naturae inter se discrepant, et quod alii mechanismo corporis, id alii animae, tanquam naturae, ut vocant, adscribunt; qua de re infra plura disserendi occasio dabitur. Quomodo vero eos laudabis theoreticos, tanquam genuinos, qui dogmata sua in praxin et usum deducere nequeunt, et in applicandis medicamentis aperte contra theoretica principia sua agunt. Quoties enim non accidit, ut Stahliani acrimoniam humorum, ab aliis accusatam, plane repudient, et tamen remedia acrimoniam temperantia, corrigentia, et evacuantia, methodo mechanicis usitata, exhibeant? Quoties non accusant spissitudinem humorum, et tamen aliquando non tam incidentibus et attenuantibus, quam incrassantibus potius, remediis utuntur? Sane loquuntur cum Stahlianis, et sanant cum mechanicis. Ecquis harmoniam praxeos cum theoria exinde colligat, et huius veritatem ex illius felicitate promanasse credat?

§ IV.

Nonnunquam theoria sic fatis bene inter se con-
spirat; neque tamen isti unice fidendum, nisi per ex-
perimenta et praxin confirmetur, atque cum hac ad a-
mussim conveniat, effectibusque felicibus integrita-
tem suam probet. Non nego, multa adhuc superesse,
quae, quomodo eveniant, ad oculum demonstrari
nequeunt; inde tamen non sequitur, falsam omnino
esse theoriam, quae non omnia, quaecunque acci-
dunt, plenarie illustrare valet. Etenim, quis vitio
vertat humano intellectui, si non omnia assequatur
arcana, quae DEVS in rebus physicis abscondidit,
et magis admiranda, quam penetranda, concessit,
postquam organa sensuum ita construxit, ut intimam
rerum omnium constructionem assequi haud valeant.
Sufficit, si in aliquibus evidentiam rationum physica-
rum in cognoscendo nanciscamur, et viam invenia-
mus, qua possimus commodam aegrotantibus opem
ferre, licet rem omnem non intime perspiciamus.
Dummodo fictiones evitare studeamus, et quae cap-
tum humanum superant, incognito spiritui, tanquam
causae, tribuere dubitemus. Optime igitur proce-
dere eos iudico, qui theoriam sanae rationi, non ima-
ginatae et praeiudicatae opinioni, convenientem se-
ctantur, eique talem sanandi methodum superstruunt,
quae ipso usu confirmatur. Sicuti enim ea dogmata,
quae ex mera coniectura supponuntur, aut ex falsis
praemissis deducuntur, aut consuetaria, veritati re-
rum contradicentia, post se trahunt, vel plane in
apertos errores coniiciunt, fidem haud promerentur;
ita ex adverso ea, quae extra omne dubium posita,
B certis

*An, quae &
sola theoria,
et qualis*

certis principiis innixa, utilibusque consuetudinibus fa-
ventia deprehenduntur, assensum vel invitis extor-
quent, nec opus habent, ut titubantes sententiae
variis suffulciantur metaphysicis distinctionibus, qui-
bus, ceu asylis, abscondant labem, oculis investi-
gantium obversantem.

§ V.

*Stahlianorum
et Boerhaa-
vianorum dif-
ferentes sen-
tentiae prae-
cipuae recen-
sentur.*

Haecenus generatim praelibavimus, quatenam
theoria melior ad praxin sit. Nunc *speciatim* accedamus ad
Stahlianorum et Boerhaavianorum sententias, ut inquiramus,
quatenam earum maioris usus in sanando sit. Id ipsum
vero, cum docere haud possim, antequam monstrave-
rim, quomodo utrique viri supra laudati a se invicem dif-
cedant; hinc potiora utrorumque placita, inter se diffe-
rentia, praemittam, eademque dein secundum normam,
§ 2 allegatam, examinabo, quatenam scilicet plus cer-
titudinis et evidentiae, vel saltem probabilitatis, ratio-
ni sanae afferat, ac deinde ipso usu et experimento
magis probetur. In recensendis vero differentiis do-
gmatum, quibus STAHLIUS et BOERHAAVIVS inhaeserunt,
amplum differendi campum ingredi possem, si singu-
las minutias mihi sumerem pertractandas. At vero,
ut prolixam earum disquisitionem brevitatis studio
nunc praeteream, ad fontem potius, ex quo plera-
que et praecipua dissentienti argumenta promanarunt,
accedam. Ne tamen aliquis putet, hos viros, fama
meritisque celebratissimos, in omnibus plane partibus
inter se dissensisse; praemonendum est, illos in mul-
tis rebus inter se conspirasse, atque tam in plerisque
physico-chemicis, quam in aliquibus medicis, theo-
rematibus exacte convenisse, ideoque insignes laudes pro-

promereri, quod multa contulerint ad rem physicam aequae ac medicam erudite illustrandam et amplificandam. In iis vero capitibus, in quibus discrepantia dogmata foveant, placet ea praemittere, quae Illustris STAHLIUS, eiusque aedae, statuunt. Nimirum asseverant: *animam omnes motus et actiones, easque non solum animales, sed etiam vitales et naturales in corpore humano vivente exercere; eandem quoque animam non modo sibi in generatione corpus construere, sed etiam illud in vita et sanitate conservare; quinimo morbos producere, eosdemque rursus expellere, ideoque crisum, coctionum, se-et-excretionum, valetudinis, atque symptomatum morbosorum, causam proximam et effectricem existere. Quinimo eo usque procedunt, ut intrepide affirmant: animam esse naturam hominis, seu naturam eius nihil aliud esse, quam animam rationalem. Ex his vero concludunt: Medicum oportere semper respicere ad animam, eiusque intentiones, quas nonnulli Stahlianorum sapientissimas, et nunquam non sagacissimo cum iudicio institutas, alii vero interdum erroneas, esse autumant. Adversas his sententias BOERHAAVIUS, eiusque imitatores foveant. Concedunt quidem, animam voluntarios motus et actiones animales in nobis instituisse; negant autem, vitales et naturales actiones, quatenus involuntarios motus, in nobis ab anima effici, sed illas potius ex artificiosissima corporis nostri constructione, causisque physicis, in animantium fabrica specificis compositis atque coniunctis, potissimum pendere, consequenter generationem, vitam, sanitatem, morbos, mortem, sanationem, crises, se-et-excretiones, non proxime, nec absolute, ab anima produci, sed a natura effici, quam pro anima habere absolum ducunt, et animae contemplationem medico in morbis sanandis haud directe competere, adstruunt.*

*Fundamenta
hypotheseum
Stahlianarum.*

§ VI.

Possẽm iam statim ad examen dogmatum Stahlianorum me convertere; placet tamen, fundamenta, quae STAHLIVM eiusque affeclas moverint ad hoc systema struendum, paulo accuratius disquirere. Si enim firma fuerint, firmam quoque superstrui posse doctrinam, certum est: quod si vero infirma et lubrica fuerint; concussum theoriae aedificium sponte sua corruet. I) Stahliani nempe antiquorum canonem physicum supponunt, et omnem materiam pro mortua habent, negantque, ullum corpus se ipsum movere posse; ideoque concludunt, corpus nostrum etiam vi movente quadam indigere, quam in anima unice ponendam suspicantur. II) Cum omnes motus adeo ordinate et provide in corpore humano peragantur, ut purum ab impuro, noxium ab utili, se et excernatur, immo in morbis non raro proportionati eveniant motus, quorum ope causae morbificae alterentur, corrigantur, et per loca congrua expellantur; exinde coniiciunt, necessario ens quoddam sapiens, prudensque, (qualis anima est) adesse, idque omnia perficere debere, inprimis ubi nemo docere possit, quomodo istae actiones physice peragantur. III) Aiunt: si anima actiones animales, tanquam praestantiores, exerceat, haud dubitandum esse, quin etiam minus nobiles praestet. IV) Cum anima corpus suum construxerit; vero simillimum esse, eam quoque omnes corporis partes intime nosse, atque in id incumbere, ut easdem, tanquam ex materia facile corruptibili compositas, conservet, ac, ne putredinem concipiant, sollicitè caveat.

§ VII.

§ VII.

Qui rerum et virium phyficarum minus gnari *Examen primi
fundamenti.*
funt, veri speciem in his rationibus inveniffe fatebun-
tur, nec assensum iis dare renuent. At vero, liceat
haec fundamenta Stahlianorum accuratius pervesti-
gare. In singulis autem nihil invenio, quod firmum
fit aut stabile. Ad primum quod attinet fundamen-
tum, antiquorum canon, ut multis hodie displicet,
ita tanquam erroneus facillime convellitur, et refra-
gantem habet experientiam. Siquidem nullam ne
cogitare quidem possumus materiam, in qua non in-
fitus et innatus motus continuo existat, vel saltem
vis quaedam movendi contineatur; quinimo in ali-
quibus corporibus tanta movendi potentia cum actu
coniuncta evidenter reperiunda, ut, nisi sensus ipso
opere convincantur, omnem fidem superare videan-
tur phaenomena. Si enim consideremus gravitatem,
itemque cohaesionem, omni materiae innatam, porro
elasticitatem, ignem, electricitatem, magnetismum,
aëris, aquae, fermentorum, putredinis, spirituum
corrosivorum, salium, aliorumque corporum acti-
ones et vires, quas exerunt; tantum abest, ut ma-
teriam pro mortua, motusque infiti experte, admit-
tamus; ut potius certum sit, pro diversa materiae
constitutione naturali, etiam diversas eius agendi vires
motusque prognasce. Mirum itaque non est, partes
corporis animalis, utpote specificè constructas et
compositas, longe alios praestare effectus posse,
quam quidem alia corpora, a structura animali dif-
formia et aliena. Neque ex praetensa materiae ad
movendum impotentia sequitur: omnem vim mo-
vendi

vendi non, nisi in anima quadam, ponendam esse. Id enim si concederetur, non modo bruta a simili hominum anima regerentur, sed etiam arbor haud succresceret, fructusque ederet, nec seminibus propagaretur, nec aqua proflueret per declivia, nec ignis luceret, aut combureret alia corpora, nec stellae moverentur, nec tonitrua et fulmina orirentur, nec mundus ita moveretur, nisi ubique animam motus excitantem supposueris. Maiori cum fiducia partibus corporis nostri eas tribues actiones, quas non modo intra corpus nostrum, sed etiam extra illud, exserunt.

§ VIII.

Secundi.

Nec ab ordine et concentu motuum, nec a fine salutari, concludendum ad animam, tanquam rationalem substantiam, omnes motus producentem, eosque in certos fines dirigentem. Nam etiam in plantis exactum quendam ordinem motuum fieri videmus, ut vitam vivant suam, ut digerant succos, quos imbibunt, ut nutriantur, se- et excretiones exerceant, morbos patiantur, et ab iisdem rursus liberentur, absque concursu rationalis spiritus intra plantam contenti, sed ex sola potentia, quam plantis concessit, earumque structurae secundum leges universales physicas factae indidit sapientia divina, a qua non nisi perfectissimum, artificiosissimumque opus expectandum. Pari modo non absolute ad animae commercium et directionem confugiendum esse iudico, si quando alia eaque potiora accidentia et causae moventes adsunt, quae insimul inscitiam et impotentiam animae hac in re perspicue produnt. Rectius itaque eos sentire iudico, qui ho-

norem

norem DEO tribuunt , corpora talia creandi , quae automatos motus exercere valeant , nec opus habeant , ut actiones suas physicis motuum legibus subiectas et conformes ab alio creato spiritu petant , qui tamen earundem actionum neque gnarus , nec arbitrer , deprehenditur. Demum quam lubrica sit argumentatio , ubi ab ignorantia causarum physicarum ad animae omnipotentiam et imperium absolutum concludunt , non opus est , ut multis doceam verbis. Quot enim non sunt phaenomena physica , quorum rationes arcae etiam sagacissimos rerum naturalium scrutatores latent , et maximam quoad partem per omne hoc aevum futurum latebunt. Ecquis autem adeo temerarii ausus foret , qui inde argumentaretur : quia ignoramus , quomodo ista fiant , hinc sequi , omnia a spiritu rationali infuso proficisci ac peragi. Nemo non videt , hanc concludendi normam , quam quidem prudentiores Stahlianorum asserere ipsi verentur , cum sana ratione haud convenire.

§. IX.

Si a particulari ad universale argumentatio non valet ; multo minus ab actionibus animalibus ad vi-
Tertii et
quarti.
 tales et naturales concludere licet , cum aliquando hae continentur et permaneant , licet illae aliquandiu cessent aut suspendantur , ceu fieri videmus in apoplexia et somno. Alia longe actio est , *cogitare , iudicare , reminisci , percipere , velle et nolle , motusque voluntati subiectos exercere* ; alia vero est , *materiam alimentosam praeparare , coquere , mutare , agglutinare , atterere , segregare et expellere* , eaque citra voluntatem et conscientiam

scientiam peragere. Has postremas actiones quotidie fieri videmus etiam in aliis corporibus, vita et anima carentibus; curni eadem in nostra machina, eos in fines artificiosissime constructa, ex iisdem rationibus physicis evenire posse concedamus? Quinimo infra videbimus, tot diversas et fere innumeras, quae in nobis peraguntur, actiones omnino superare vires animae cognitae, quo minus omnibus rite praeesse, easdemque cognoscere, multo minus dirigere valeat. Denique an anima corpus suum ipsamet sibi construat, in sequentibus seorsim considerabo, ac docebo, istud cum ratione et veritate haud constare. Sicuti vero ex his patet, fundamenta Stahlianæ sententiae valde infirma esse: ita dubium non est, aedificium systematis Stahliani, iisdem rationibus superstructum, facile convelli posse.

§. X

Examen hypoteseos primæ Stahlianæ.

Progredior ad examen primæ Stahlianorum sententiae, qua statuunt: *animam omnes motus et actiones, easque non solum animales, sed etiam vitales et naturales, in corpore humano vivente instituire et exercere.* Primum videamus, an hæc et reliquæ theses Stahlianorum veritatem, vel saltem verisimilitudinem aliquam, præ se ferant? Deinde consuetaria, quae inde profluant, eaque, an rationalem praxin medicam magis aut minus promoveant, animo lustrabimus. Sicuti actiones *animales* nomen suum ab anima recepere; ita quoque BOERHAAVIUS, alique mechanici et medici ante STAH-
LIVM, istas actiones motusque, ad animi nutum evenientes, potissimum animae adscripserunt, De *vitalibus* autem et *naturalibus*, an idem sentiendum sit, videamus.

deamus. Ad vitales actiones vulgo referuntur *pulsus* et *respiratio*. Dum affectus animi vehementes pulsum evidenter alterant, et respiratio ad animi nutum accelerari, retardari, vel alio modo immutari valet; habent utique, quo Stahlani animae potentiam hos motus vitales alterandi comprobent. At vero, sicuti respiratio est actio mixta, et partim voluntaria, partim involuntaria, nec nisi certis sub conditionibus sine incommodo variari solet; ita menti non omnimode subiecta est, nec ultra sphaeram sine dolore intendi, nec sine anxietate, metuque suffocationis, diu coerceri, multo minus, si a morbo supprimatur aut corrumpatur, vel per vehementem corporis motum acceleretur, in ordinem et moderamen statim redigi, aut liberius institui ab anima potest. Maior animae impotentia est in pulsu ordinando. Quamvis enim graves animi passionnes circulum sanguinis nonnihil invertant, atque perturbent; ex eo tamen non patet, sanguinis circulum ab anima institui. Ecquis enim sine erubescencia ita inferret: quicquid pulsum vasorum et circulum sanguinis turbat, illud eundem in ordine conservat, atque instituit. Neque omnino valet consequentia huius propioris argumenti: quia pulsus sanguinis ab affectibus animi turbatur; ergo anima est causa ordinati circuli sanguinis, motuumque vitalium. Libentius concederem, ex commercio animi cum corpore fieri, ut, uno graviter affecto, et alterum per consensionem simul afficiatur, et in opere suo turbetur. Inde vero pronam ratione haud concludas, nullam aliam causam efficientem motuum vitalium et naturalium esse, nisi animam. Anima enim, dum has actiones, quomo-

do et an peragantur, nescit; dum partes et organa corporis praecipua, nisi sensuum ope, et diuturna partim per anatomen investigatione aliquam earum cognitionem acquisiverit, plane ignorat; dum etiam nihil in iisdem efficere, nec ad voluntatem involuntarios motus alterare, augere vel minuere, accelerare vel retardare valet: hinc istis actionibus salvo rationis usu praefici nequit; alias sequeretur, eundem spiritum, simplicissimamque, ceu animam definiunt, substantiam duplicibus, iisque contrariis, pollere viribus, scil. ut eadem, quae sciat, et intime cognoscat, simul ignoret, ac ea, quae actu et cum intentione sagaci faciat, nesciat tamen, vel, si velit, peragere nequeat. Haec quomodo inter se conveniant, nemo quidem intelliget, nec unquam concedet, nisi patiatur, lumen rationis suae et perspicuitatis amorem a tenebris quarundam obscurissimarum distinctionum offuscari, vel plane tolli. Dudum ante Harveyum circulus sanguinis innotuisset, si anima rationalis illius auctor et conscia fuisset. Multis medici laboribus supersedere possent in studio addiscendae corporis humani fabricae, si anima hanc exactissime praecognosceret. Rudis rusticus, infans amusus, immo et stultus integra corporis valetudine fruens, doctissimum et solertissimum anatomicum et physiologum longissime scientia superaret. Ast homo nescit, an corde, an hepate, aliisque visceribus instructus sit; an sanguis eius in circulum quendam agitetur; an, et ubi, aut quomodo, secretiones peragantur? nisi de his prius edoctus sit. Nescit causas vitae, sanitatis, morborum, et convalescentiae. Multo minus sub potestate eius positum est, haec om-

omnia instituere aut dirigere. Quam anxie multi non vitam longam et sanam vivere cupiunt? Quanto nifu anima aegrotantis eo non intenta est, ut febris, dolor, calor, spasmus, palpitatio cordis, vomitus, nausea, lassitudo, tabes, asthma, podagra, paralyfis, aliique morbi cessent, ac amoveantur, ut senile frigidumque corpus reiuvenescat, vigorem, caloremque pristinum recuperet, ut pectus liberius respiret, ut alvus segnis officio suo saepius satisfaciat, ut sterilitas modo adsit, modo absit. Nec tamen anima omni contentione sua quicquam in his per se efficere valet. Si enim haec anima praestare posset, quae Stahliani eidem tribuunt, certe, quae vellet, praestaret. Cum autem neque in statu sano, neque in morbo, ea efficiat, etiamsi serio velit; patet inde, eam talia efficere haud posse. Quinimo in morbis cum anima duplicem et contrariam intentionem prodatur; adversae voluntatis capacem esse animam Stahlianam, facile concludimus. Is nempe, qui febre laborat, in animo id unum desiderat, ut a febre eiusque symptomatibus liberetur; fugit et odit calorem, sitim, lassitudinem, respirationem citatiorem; et tamen Stahliani asseverant, animam hos motus amare, eosque ceu salutare, quas tamen homo sibi exitiales putat, instituere, cum praegressa quadam provida intentione. Ex his sequeretur, duplicem eamque sibi contrariam in anima simul adesse cognitionem et voluntatem, ita, ut idem simul vehementer nolit ac velit, cupiat et fugiat, appetat et aversetur, bonum et malum iudicet; id quod tamen de ente tam simplici et perfecto, quale animam statuunt, an admitti possit, iudicent alii. Mihi ne veri quidem spe-

ciem illud habere videtur, quod sibi adeo aperte contradicit. De vitalibus et naturalibus actionibus, animae directioni et praesidio haud subiectis, plura afferre, et argumenta Stahlianorum uberius pensitare possem; ast quoniam illustris FRID. HOFFMANNVS, HEISTERVS, BURGMANNVS, STENTZELIVS, SCHACHERVS, TREYLINGIVS, MEIBOMIVS, GERIKE, TRALLES, A BERGEN, alique hanc in rem plura commentati sunt, et levitatem rationum Stahlianorum abunde demonstrarunt; hinc ad illos provoco viros doctissimos, et progredior ad confectaria practica, ex ista Stahlianorum hypothese deducenda. Nimirum id infert, nos magis animae, quam corporis, medicos agere, aegrotantemque de erroribus animae suae, eorumque emendatione, saltem monere debere. Ita vero neque medico, neque pharmaco, uti opus esset. Sicuti vero non tam vanis animae persuasionibus, quam potius remediis idoneis, quae vitiosis partibus solidis fluidisque corrigendis inserviunt, Stahliani morbos expellere solent; ita satis testantur, se in sanando magis corpori, quam animae, mederi velle. Si quoque tanta vigilantia et sapientia, quantam Stahliani in animae praesidio dilaudant, corpus humanum regeretur, ut nihil non pro conservanda vita et sanitate suscipere; mirandum utique, animam prima morborum semina, contagia, vel quicquid nocivum corpori inesse novit, non illico brevissimaque via e corpore proscribere, sed morbos chronicos admittere, crises haud suscipere, et adversis motibus in graviora pericula vitae corpus suum coniicere. Dum autem supponunt, animam omnes motus vitales aequae ac naturales instituere, eosque providenter coordinare; fieri potest, ut medicus, nimium

mium prudentiae et potentiae animae confusus, iusto diutius molimina eius salutaria expectet, opportunum sanandi tempus negligat, symptomata prava et exitiosa pro bonis et salutaribus aestimet, ac ne naturam in opere suo laudabili turbet, motibus morbos non contrahendum censeat, sed iis potius provehendis intentus, congestiones, inflammationes, febres, haemorrhagias, colliquationes, aliaque symptomata, nocivo licet conatu, promoveat, vel saltem nimium illis indulgeat. Ex adverso alius, de anima in motibus aliquando errante persuasus, ac minus bene de illa sentiens, criticas excretiones, calorem, aliaque symptomata salutaria, quae pro erroneis motibus censet, intempestive suppressere, ideoque spontaneam iustamque morbi solutionem non sine damno sufflaminare, atque vel festinando, vel cunctando, nocere posset. In chronicis morbis quam segnem et imprudentem se praestet anima, non opus est, multa dicere. Frustra saepe expectabis eius resipiscentiam viresque in sanando, nisi physicum corpus physicis fulcimentis instauraveris. Melius certe in plerisque res cederet, citiusque absolveretur, si anima secretiones et excretiones pro arbitrio efficere nosset; transpiratio expedite procederet, menstruae purgationes statuto tempore reverterentur, infensi motus convulsivi, morbi que spasmodici et arthritico podagrici cessarent, si penes animam foret, istos motus vel suscitare, vel cohibere. Quam facile anima, perseverantiae et diuturnitatis morbi pertaesa, crises anticiparet, aut citius institueret, dummodo posset? Tandem desineret differentia in actionibus, qua homines temperamento, aetate, sexu, regione, consuetu-

fuetudine, aliisque rationibus inter se discrepantes inveniuntur. Si enim causa in animarum diversitate esset posita; necesse esset, ut non modo animae inter se valde diffformes, sed etiam mutabiles forent, postquam a mutatione victus, regionis, aetatis, et a morbis, conditionem actionum immutari novimus. Ecquis autem in dissimili animarum indole aliquam medendi analogiam invenire posset? Semper incerta dubiaque maneret omnis remediorum vis, nec rationes sanandi generales unquam eruerentur in aliquo morbo. Cum etiam plebei rerumque ignari homines non raro citius et sua sponte a morbis convalescant, quam eruditi et animo doctrinaque praecellentes; plus sapientiae illorum, minus vero horum, animae tribuere posses. Quomodo vero vis et robur animae in movendo addi aut subtrahi posset ope medicaminum, si anima auctor motuum foret? Nihil sane valerent medicamina, (tanquam res materiales, utpote, ceu illis videntur, mortuae motusque infiti expertes,) ad motus istos coercendos vel sistendos, quos anima sibi pertinaciter continuandos proposuisset. Plura nolo hic conferre, quae probent, neque rationem, neque experientiam, huic Stahlianorum sententiae favere.

§ XI.

Examen secundae hypoteseos Stahlianæ.

Progredior ad alteram Stahlianorum hypothesein, qua statuunt: *animam in generatione sibi corpus suum humanum exstruere.* Equidem non miror huius thesios genesin. Ne enim systema eorum subito corrueret, hoc fulcimento indigebat. Namque si embryo unquam sine animae concursu vivere, nutrirî, crescere,

re, omnesque actiones, aetati suae competentes, quas animae soli adscribunt, ex sola corporis potestate exercere potuisset; non vana coniectura superesset, easdem actiones etiam nato homini ex corporis sui viribus auctis magis competere et adscribi posse. Neque excusarentur Stahliani, si animae matris eas adscriberent actiones foetus, quas in utero sustinet. Si enim a sola matris anima penderet vita, sanitas, et vegetatio infantis; inde posses deducere, inutilem plane esse utriusque sexus congressum in opere generationis, vel animam matris solam vi sese multiplicandi pollere. Sepositis tamen his, redeamus ad ipsam thesin. Ponamus, animam foetui propriam in construendo corpore suo potentem esse; nihilominus tamen id investigandum superest, utrum anima statim a momento conceptionis adsit, an vero tunc demum accedat, quando foetus sese evidentius in utero movere incipit, utpote a quo tempore nonnulli foetus animationem admittunt. Si posterius concedant; hoc ipso negant, animam esse auctorem fabricae animalis. Corpusculum enim embryonis, omnesque eius partes, quae ad organisationem hominis requiruntur, iam constructae sunt; ideoque anima corpus suum haud construeret, sed antea constructum saltem ingrederetur, illudque tantum animaret, eo fine, ut actiones animales suo tempore simul edere queat. Cum autem foetus iam antea vixisset, succrevisset, omnibusque visceribus satis instructus, tam vitales, quam naturales, quinimo respectu animales quasdam, actiones edidisset, absente licet eius anima; id ipsum aut *sua virtute*, aut *animae matris concursu*, evenisse oporteret. Si prius
admi-

admiseris; Stahlianæ thesî aboletur: si vero *posterius* affirmes, statuasque, animam matris eo usque embryonem effingere, donec anima foetus desuper accedat; quid obstat, quo minus anima matris semper conscia sit, an et quomodo conceperit? Nonne eadem matris anima corpus embryonis hucusque constructum prorsus perficere, aut pro lubitu masculinum, aut femininum, quaecunque praeoptet, efformare, sola, et virginitate corporis illibata puerum concipere, unum, duos, aut tres infantes generare, gestare, servare, vel per abortum eiicere posset? Certe anima matris nullos foetui suo imprimeret naevos, utpote quos averfatur, sed formosissimam potius, quam optat, faciem, integerriamque sanitatem foetui suo, quem amat, tribueret; morbos hereditarios minime transferret in posteros; nulla monstra, nec molae, nascerentur; quinimo steriles facile conciperent, et contra, meretrices vix unquam spurios procrearent, atque tam sterilitas, quam abortiendi facultas, sub potestate feminarum esset posita. Quodsi vero statuant, animam, tanquam corporis futuri artificem, statim ab initio conceptionis adesse, non immerito quaeras: utrum *a patre solo*, an vero *a matre*, an denique *ab utrisque simul*, anima foetus descendat, aut confluat? vel an eodem momento DEVS concurrat, animamque infundat? Ad postremam quaestionem quod attinet, spero, me divinae veritati haud contradicturum, si in aperto Creatoris Omnipotentis effato, *crescite et multiplicamini*, acquiescendum esse censeam. Quodsi *a patre* originem animae deducant, et, ut loquuntur, per traducem generationem fieri

affir-

affirmant; sequitur, animam simul cum effusione feminis multiplicari et profundi. At vero, quot non inde orirentur ac forte perderentur animarum millia, quae nunquam corpore donatae oberrarent? Si enim toties, quoties semen effunditur, animula simul proflueret humana, eaque immortalis; quot non passim divagarentur animae? Non quaeram: an damnandae, an vero beandae? Id vero prono flumine inde promanaret, animas humanas, et quidem viriles tantum, non vero muliebres, sese multiplicare posse. Haec vero numerosa satis multiplicatio quomodo cum definitione animae, hactenus usitata, conveniat, et quomodo ens, natura simplicissimum et spirituale, simul multiplicabile esse queat, de ista vi disputent, eamque defendant ipsi huius definitionis auctores. Id vero reticere haud possum, neminem, Catholicae fidei addictum, huic Stahlianæ hypothese subscribere posse, quin tanquam spurium huius Ecclesiae membrum habeatur, postquam a Concilio Tridentino Traduciani haereticis adscripti et damnati sunt. Si vero *a matre sola* animae ortum repetant; habent omnino in antecedentibus, in quibus extricandis sese exerceant; nec deerunt alia in sequentibus dubia, quibus solvendis insudent. Demum si *ex utriusque sexus concursu* animam provenire velint; quaestio oritur: an a binis corporibus, maris scilicet et feminae? an vero ab eorum animabus tantum? an denique ab utrisque, anima scilicet et corpore eorum, nova hominis anima producat? Quomodo autem ab uno vel duobus corporibus anima, immaterialis nempe substantia a materiali, procreetur, ego quidem haud perspicio. Si a solo animarum concursu

D

depen-

dependeat; quid obstat, quo minus amor mutuus et harmonia animorum, quae iuvenem et amasiam eius aequali ardore inflamat, illaesa licet corporum castimonia, sola confertarum manuum mutua compressione, vel osculorum miscela accedente, vivens amoris pignus procrearet, virginemque illibatam impraegnaret? Siquidem animula ex concursu animorum nata per os aut manum non minus, quam per viam conceptionis ordinariam, ad uterum penetrare, sibi que corpus exstruere posset. Denique cum anima in corpore sola et seorsum animulam foetus iuvenem producere nesciat; quomodo per copulam binorum corporum animae coniungentur, ut vim prolificam animarum eliciant? Et cur in certa tantum hominis aetate et constitutione legitima haec sese prodatur vis, et non magis per omnem hominis vitam eveniat? Sed missam faciamus arcanam animae originem, et videamus, quaenam confectaria tam theoretica, quam practica, ex ista Stahlianorum sententia erui queant. Si concedas, animam, undecunque ortam, sibi corpus in utero matris construere; necesse est, istam simili pollere scientia et potestate, quam DEVS habuit, cum primum hominem creandum suscepisset. Id vero an magis absolum, aut blasphemum sit, decidere nolo. Nisi enim anima prius integram habuisset notitiam omnium partium, quomodo, ubi, quo ordine, et ex qua materia, singula organa efformari atque componi, regi et commoveri possint aut debeant, ideoque nisi anima hominis divinae Sapientiae aemula et particeps fuisset; sane fieri haud potuisset, ut corpus humanum artificiosissimum iusto ordine construxisset. Quamvis etiam praetendant,

DEVM

DEVM hancce sapientiam et vim animae humanae indidisse ; attamen nondum perspicio , quomodo anima insitam hanc et innatam istius operis cognitionem adeo deferere , et a norma praescripta recedere possit , ut monstra aut naevos aliquando producat , contra sapientiae et voluntatis suae leges ; aut quomodo eius rei adeo ignara esse queat , ut nullam partium a se structarum notitiam habeat. Ex adverso , ex hypothese ista sequeretur : animam omnes , etiam si minimas , corporis sui partes constitutivas intime nosse , ideoque exactissimos anatomicos et physiologos scientia longe antecellere. Dolendum sane , haec veritati et experientiae haud respondere ; ita nempe nulla in his doctrinis superessent arcana et desiderata. Quantis laboribus non possemus supersedere , antequam aliquam , mancā licet adhuc , cognitionem organorum in structura et actione sua acquireremus ; nec minus ab ista cognitione ad intimiorem aliarum rerum physicarum explicationem deduceremur. At vero novimus , animam sui ipsius haud adeo consciam esse , donec ab aliis ad existentiam suam , per rationem investigandam , invitetur. Porro exinde profluit , duplicis generis animas esse , alteras femininas , masculinas alteras , ne demum his addam hermaphroditicas ; siquidem , si quaelibet animula utriusque sexus conformandi scientiam et potentiam haberet , sane voluntati parentum obsequeretur et satisfaceret , ac modo masculinum , modo femininum , corpus ex voto parentum effingeret. Praesupponendum etiam foret , animam singulas atomos sanguinis et humorum matris , pro nutriendo foetu ad uterum delatorum , bene dignoscere , seligere , arripere , alterare ,

rare, componere, et in formam embryonis redigere posse, etiam si tam oculorum acie et lumine, quam apicibus digitorum vel hamulis, aut cribris, aliisque instrumentis, ad seligendas componendasque particulas idoneis, in utero careat. Nisi enim haec a naturali materiae, ad efformanda embryonis primordia idoneae, potentia evenirent; fieri haud posset, quin etiam anima rationalis tam in genesi brutorum, quam in feminatione et germinatione vegetabilium, adsit; siquidem in eorum structura non adeo minus artificii, quam in homine, sed respective multum analogiae, latet. Mirum quoque esset, animam eam hominis, quae in construendo intra uterum corpore suo adeo sagacem prudentemque se gessit, ut omnia rite coordinaverit, post nativitatem foetus, vel in adulto homine, adeo desipiscere, viribusque infitis suis privari, ut partes, quas ipsa condidit, inhabitat, quotidie tractat, movet atque gubernat, iam non amplius cognoscat, nec dirigere valeat, sed, per aetatem et experientiam prudentior facta, saepius erroribus nunc implicetur, menses et haemorrhoides per nares aut pulmones, tanquam per uterum vel anum, eiiciat, aut haemorrhoides in articulos vel renes impellat, exanthemata cutis versus interna revocet, deliria moveat, viscera inflammet, et ad necrosin deducat, immo sub spe et anxio labore vitae servandae, hanc ipsam destruat ac perdat? Si olim sat potens fuit, singulas partes efformare; curni vulnus lethale subito conglutinet, sauciatos ureteres, effusum oculum, abscissum nasum, manumque resarciat. Minoris enim vel scientiae vel potentiae accepisset, quam quidem anima canceri aut polypi fluviatilis. In illo

illo enim chela avulsa, in hoc pes, caput, vel corpus, si discindantur, uti narrant, restituantur. Porro metempsychosin revocare videtur illa sententia. Quid enim impedit, si anima vim struendi, vel movendi et animandi corporis habeat, quo minus illa, corpore suo pristino egressa, novum sibi corpus aliunde componat, vel aliud ingrediatur corpus. Nunquam accideret abortus, nec difficilis partus; infans etiam in partu male collocatus nusquam offenderetur, sed semper capite prono vel pedibus prodiret, ne sibimet ipsi prudens anima exitum praecluderet. Nunquam nasceretur stultus, aut fatuus stupidusque, nec alia ratione deformis. Cum enim imaginationi matris multum tribuant; haec autem non nisi pulchrum, perfectum, statim tempore partu edendum, cupiat foetum, hanc voluntatem matris foetus obsequens vix unquam transgrederetur. Sicuti vero haecce consuetudines satis testantur, dogma hoc Stahlianum non nisi figmentum esse, et multos post se trahere errores; ita non plus utilitatis habet in praxi medica. Remedia enim contra sterilitatem supervacanea reddit, medicique consilium in curatione abortus, partus difficilis, naevorum, morborumque hereditariorum, suspendit.

§ XII.

Tertium Stahlianorum placitum nunc examinandum sese offert, ubi *vitam, sanitatem, morbos, crises, symptomata, quin immo mortem ipsam, animae, tanquam causae proximae, primariae et efficienti, adscribunt.* *Examen tertiae hypotheseos Stablianæ.* Vulgaris quidem est sententia: nos tam diu vivere, quam diu anima adest; mortem vero pati, si vinculum, ani-

nam cum corpore coniungens, solvatur, illaque ex hoc discedat. Nil dicam de eo, quod sacrae literae, Levit. XVII. 11. 14. testentur, animantis vitam in suo sanguine esse. Nec vulgarem hominum opinionem de praesentia animae durante vita prorsus ceu falsam abiicere sustineo. An vero causa efficiens vitae et sanitatis sit anima? De hoc gravia dubitandi argumenta offendit, qui animale corporis oeconomiam intimius novit. Notum enim et evidentibus experimentis confirmatum est, tam diu vitam adesse et continuari, quamdiu sanguis, decente qualitate et quantitate praesens, in vasis integris circulari motu agitur; sanitatem autem, dum sanguis aequabili circulo distribuitur, ac solidae partes rite constitutae ope humorum, impetum facientium, et movent humores, et vicissim ab his moventur. Simul autem, ac circulus sanguinis cessat atque sistitur, vel sanguis iusto copiosius effunditur, vita perit, non minus, ac praesente morbo circulus sanguinis aut in toto corpore, aut in parte quadam, cursus sui regulam nimium transgreditur, et sanitas inde, actionumque naturalium aequae ac vitalium integritas, laeduntur. Sive velit, sive nolit anima; haec tamen eveniunt; nec ista vel vitam prorogare, vel pro arbitrio finire, neque sanitatem restituere, vel immediate eandem perdere valet. Nequit illa circulum sanguinis instituire, vel in ordinem revocare; immo ignara potius vitae in utero, nescit, an alius humorum circuitus sit in infante nondum nato, alius vero in nato et adulto. Ecquis est, qui animae circulum sanguinis intrepide attribuat? Si enim illa potestatem eius et regimen haberet; quid obstat, quo minus aliquis se non modo
per

per omnem vitam, ceu optat et cupit, sanum, vegetum, iuvenemque servare; sed etiam longaevitatem assequi, mortemque vel effugere, vel ex indignatione aliquando accersere, possit. Equidem Stahliani regerunt, limitatam esse animae hac in re potestatem. Sicuti vero impotentiam eius hoc sub velamine abscondere satagunt: ita vel inviti fatentur, vim animae valde restrictam, legibusque physicis et mechanicis corporis nostri subiectam esse. Quomodo vero causam efficientem primariamque vitae et sanitatis exhibeat anima, si non tam active, quam potius passive, saepissime hoc in opere se habeat? Quod si anima se -- et excretiones institueret, et, quaecunque sanitati profint aut noceant, intelligeret; miror, cur illa tanquam sapiens prudensque spiritus, qui excernicula corporis optime novit ac gubernare didicit, morbos admittat, nec tempestive et statim ab initio causas morborum e corpore proscribat? Si coctiones et alterationes humorum suscipit dirigitque; cur infensas sanitati materias suis, quibus pollet, viribus statim aut coquere et cicurare, aut expellere omitit? Cur intemperiem humorum et plethoram non praevertit? Ecce necesse est, ut crises ad certos usque dies suspendere teneatur; cum tamen, si autor earum esset, easdem citius suscipere et absolvere, morbumque, quem longissime remotum vel citissime desinentem cupit, breviori tempore finire posset, postquam alias dyspepta in nonnullis cito subigere novit. Haec quomodo cum sapientia et providentia animae, toties a Stahlianis decantata, conveniant, difficulter assequi mente poteris. Nec anima tot diversis actionibus una praesse, nec innumeris

ope-

operibus, quae in nostro corpore fiunt, iustam attentionem consiliumque agendorum largiri valet. Si quidem ipsi percipimus, animam ne de duabus quidem aut tribus diversis rebus simul et eodem momento temporis serio cogitare posse, sed non nisi uni tantum rei intentam, reliquarum curam seponere aut praeterire. Male nobis consuleretur, si ens adeo simplex, nec nisi uni rei severe incumbens, omnibus corporis nostri partibus regundis praeficeretur. Nullus delirantium morbo evaderet, si anima, usu sensuque rationis destituta, omniaque perverso modo meditando eloquens et agens, consilii nescia, in corpore adeo male, quam in intellectu, se gereret; et tamen non pauci delirantium hoc ipso tempore criticarum coctionum summam ordinate absolvunt, atque excretionum beneficio accedente resipiscunt et convalescunt. Ecquid statuas, si crises salutares in aliquibus morbis et aegrotantibus prorsus deficient et ab anima omittantur? Putasne, animam aut imprudentem idiotam et istarum actionum ignaram, consiliorumque inopem esse, ut nesciat, quomodo salvandum corpus sit? Aut frivolam eam, vel malitiosam et pervicacem adeo esse iudicas, ut ea, quae intelligeret, et pro salute corporis suscipere posset, omitteret, immo plane inverso ordine procederet, et interitum corporis sui viventis, cuius tamen conservationem anxia mente omnique studio quaerit, acceleret? Superest, ut eam impotentem et impeditam in salutari conamine supponas, ita ut ea, quae intelligat et velit, assequi et exsequi haud valeat, licet magna prudentia singula, quae novit, tentet salutis adminicula. Postremum huiusmodi diverticulum et

refu-

refugium Stahliani quaerunt, et impotentiam animae in agendo non in eius voluntate, sed in aliis impedimentis, in aegrotantis corpore obviis, collocant. Verum hoc ipso largiuntur, impotentem esse animam, et materiam morbificam dignoscere, regere, coquere, alterare, et eiicere haud valere; concedant potius oportet, materiae vires in agendo superare vires animae. Nec in symptomatibus excitandis, vel supprimendis, anima quicquam valet. Essentiales enim, et ad morbi indolem formamque pertinentes, passiones etiam invita anima admittat, oportet; accidentales autem, morbique solutionem retardantes, cur temere excitet? Purgantia et emetica venena, sufficiente ad movendum dosi propinata, tempestive vel sursum, vel deorsum, reiiciuntur. Has excretiones si anima praestet, cur similiter miasma brevi levique conatu non exturbat, sed illud potius retinet, talesque instituit motus, qui augendo contagio, massaeque humorum colliquandae et corrumpendae inserviunt? Haec sane cum laudata a Stahlianis animae providentia et virtute haud conspirant. Ideoque nec in hoc Stahlianorum dogmate invenio, quod verisimilitudinem in theoria, vel usum in praxi, praebet. Eo enim redit omne opus medici, hancce illorum theoriam sectantis, ut non tam minister, quam obsequens potius servus, et spectator inutilis, animae sit, ne, tanquam rebellis turbarum incensor, ab imperio illam deiicere audeat. Nihilo minus aiunt, se idoneis remediis tam impedimenta valetudinis recuperandae remove, quam naturam in salutari opere semel coepto feliciter absolvendo adiuvere. Ita vero medicamenta vires suas tam in corpus, quam in ani-

E

mam,

mam, exfererent, et materia id praestaret, quod anima praestare deberet, non vero posset. Hac ratione vim materiae movendi alterandique satis quidem intelligunt; corpori tamen humano quicquam virium vitalium et naturalium largiri dubitant. Parum abest, quin omnem scientiam operamque medici inutilem, omnes observationes medicas usu et applicatione indignas, et sanandi rationes incertas esse censeas, si animam admittas variam, dubiam, pertinacemque. Nam neque impiam, rebellemque animam domare, aut remollire; nec imprudentem meliora docere; nec impotentem roborare; nec errantem meliora docere, ope remediorum poteris.

§ XIII.

*Examen quatuor
tae hypotheseos
Stabilitatis
animae.*

Accedamus ad quaestionem: *an anima sit natura hominis?* et videamus, an haec nomina eiusdem valoris sint, atque *vicissim permutari* queant? Varias naturae significationes hoc loco recensere nolo, postquam BOYLEVS, STVRMIVS, SCHELHAMMERVS, alique, in etymologia huius vocabuli evolvenda multum laboris impenderunt. Illud vero praeterire non possum, hanc naturae cum anima permutationem omnino conceptui generali naturae adversari. Aëri, aquae, igni, terrae, plantis, lignis, ferro, magneti, omnibusque aliis, vita carentibus, rebus nemo non naturam tribuit suam propriamque. Curni et animam ipsis tribuant, si haec ab illa non differat? Non modo brutis, eorumque variis partibus, sed etiam diversis hominum liquoribus, v. gr. salivae, urinae, bili, sanguini, lymphae, etc. aliam, singulisque diversam, naturam inesse concedunt. Quot itaque animae

animae non in uno essent bruto et homine, si generatim natura et anima unum idemque forent. Verum praevideo, Stahlianos toti homini, collective sumto, naturam suam humanam adscribere, a qua vires et actiones eius dependeant. Postquam autem concedunt, hominem ex duabus partibus essentialibus, anima scilicet, et corpore organico, componi; illam vero inter spiritus et entia immaterialia, hoc inter materialia corpora, utpote a qualitate spirituum longissime remota ac diversa, collocant: hoc ipso largiuntur, non unam, sed duplicem et distinctam, naturam homini concedendam esse. *Alia enim natura spiritui, alia vero corpori* competit; consequenter illam spiritus naturam, corporis naturam nec esse, nec dici posse, certum est. Quamvis etiam regerant, se sub notione naturae intelligere principium istud agens, quod omnes motus, in corpore humano evenientes, instituat, utpote quod in anima quaerunt? attamen, sicuti ineptum esset, naturam horologii in solo eius pondere vel elatere, singulas partes eius impellente et commovente, supponere; ita minus concinne natura hominis ad animam eius tantum refertur. Et quomodo robustam vividamque, vel debilem segnemve, naturam definiant? Roburne, aut debilitas, in anima, vel in corpore? anne vero utrisque suum, et, ut videmus, saepe dispar, robur? Infirmusne et aegrotans spiritus, aut aegrotum corpus infirmum? Quomodo spiritus immaterialis a remedio analeptico seu confortante materiali reficiatur? Viribusne spiritus inde aliquid addi potest, an iisdem indiget confortantibus? Quinimo Stahliani nimium mechanicis absolutis favere, atque his arma victricia

tradere, animamque ex spirituum et substantiarum coetu excludere videntur, quando dicunt: animam consistere in motu, tanquam in re immateriali. Sicuti vero motus non est substantia, nec spiritus, sed tantum accidens: ita tacite affirmant, animam non esse substantiam, nec spiritum, sed accidens saltem, ideoque motu corporis et vita cessante, etiam animam hominis finire et desinere. Id quod an concedendum sit, eorum, qui Christianos se profitentur, iudicio relinquo. Cum autem nec Stahliani istud admittant, hinc sibi met ipsis aperte contradicunt. Consentiant quidem Stahliani cum mechanicis, dum utrique naturae vocabulo saepe utuntur. Quinimo illi mechanicorum assensum invenisse autumant, sicubi naturae nomen insertum allegatumque in libris legant. HIPPOCRATEM, GALENUM, DVRETVM, SENNERTVM, BAGLIVVM, SYDENHAMIVM, aliosque celebratissimos medicos, in partes hypothesium suarum trahunt, si quando naturae istos multum tribuisse inveniant; licet hi aliam saniolemque naturae definitionem, quae ab illa Stahlianorum sententia prorsus aliena est, abunde in scriptis suis docuerint. Ita vero imponunt imprudentibus, ac si tot egregii viri, qui ne per somnum quidem de Stahliana naturae interpretatione cogitarunt, eidem adstipularentur. Aliam melioremque mechanicorum sententiam de natura infra lustrabimus.

§. XIV.

*Examen hypo-
theseos quin-
tae, de inten-
tione naturae.*

Equidem Stahliani omnia, quae natura, etiam si istorum nescia, cogitet, velit aut nolit, optime intelligunt, illiusque mentem ac fines exacte ingenio luxuriante assequuntur. Qualescunque enim actiones natura suscipiat, intentioni cuidam sagaci adscribunt. Non male suspi-
ceris,

ceris, illos, tanquam intimos animae consiliarios, omnia rescire, quaecunque illa in animo habeat, sibi que peragenda proponat. De voluntariis actionibus, quarum homo conscius est, libenter concederem aliquam animae intentionem. At, an quoque involuntarii motus, quorum nec scientiam, nec potestatem, nec voluntatem homo habet, ad intentionem animae iusto revocari possint, ex *indole intentionis* eruere liceat. Neminem enim accusamus, se cum intentione aliquid fecisse, nisi is prius rem et causam cognoverit, quae illum moverit, ad hoc vel illud agendum, aut omittendum. Necesse est, ut sciat, quae praesto sint, ut eadem cognoscat, et iudicium ferat, quale consilium capiendum, et pro fine assequendo praeferendum; an, quid, quomodo, et quando hac in re quicquam faciendum sit? Praemeditata itaque opera, et praegressa rerum cognitione, ac conscientia nostri, haec fiant oportet, quae *cum intentione* fieri asserimus; si minus, *praeter intentionem* facta dicimus, quae nobis insciis et invitis peraguntur. Iam videamus, an animae in motibus v. gr. morbosis et febrilibus, intentionem aliquam assignare liceat. Is, qui inopinato febris insultum patitur, plane ignorat, se talem iniquam materiam in corpore suo continere, quae non, nisi motibus febrilibus, corrigi et expelli queat. Nunquam antea febrim expertus, febris naturam et usum normamque aut speciem haud novit didicitque, multo minus cupit decernitque febris ortum aut vehementiam, ac tantum abest, ut illam tanquam salutarem et pro remedio habeat, ut potius eam, ceu noxiam, aversetur et longissime remotam praeoptet. Ecquis prudens ani-

mae hominis febre affecti intentionem suscitandae febris merito tribuat ? Siquidem eadem anima huius consilii, cognitionis et iudicii, plane ignara, insons et impotens, imo inopinatae invasionis febrilis pertaesa, eique plane adversa est. Nihilominus Stahliani morborum ferme omnium symptomata ad intentiones quasdam naturae seu animae referre norunt, ac modo vigilantem, sordes expurgantem et corpus renovantem, modo perturbatam, iratam, de salute desperantem et fugientem, modo trepidantem, titubantem, errantemque, et tamen, ceu aliqui statuunt, *omnia sapientissime instituentem*, (his enim error idem est ac sapientia,) depingunt, adeoque figmentis eiusmodi omnia ad oculum demonstrasse sibi gloriantur. Tuum esto B. L. iudicare, num intentiones istae animae veritatem sapiant ? Vsum quoque in praxi dubium reddunt. Stahlianus enim pro varia imaginatione sua, qua intentionem animae in morbofis motibus bonam aut malam censet, illam aut promovendam laudandamque, hanc vero alterandam et vituperandam, iudicabit. Circa erroneos animae motus ipsemet Stahlianus errorem committere potest, et, (dum erroribus implicita et arcana eorum natura, quae non in omnibus hominibus eadem ratione procedit, nec simili modo finem suum, scilicet sanitatem, assequitur,) nescit, quid faciendum sit. Si fugientem, iratam, et de salute recuperanda desperantem, sibi imaginatur animam; eo facile prolabitur, ut omnem spem abiiciat, et aegrotantem deserat, quem forte servare potuisset. Et quomodo stulta stulti anima sapientem intentionem, ad sanandum aptam, inveniat ? cum tamen vel dementes sua sponte a morbis acutis liberentur, et

et consenescent. Quomodo denique medicamenta intentionem animae mutare valeant, difficulter hariolari poteris.

§ XV.

Ex causis morborum materialibus, quibus alterandis abigendisque intentam, et ad spasticos motus proclivem, naturam iudicant, Stahliani potissimum *plethoram* et *spissitudinem humorum* accusant. Quamvis autem in his non raro vera quorundam morborum incitamenta ponenda sint; attamen dubium non est, quin humores pluribus modis peccare, et qualitates vitiosas induere soleant. Non enim tantum inopia humorum, sed eorum etiam tenuitas, colliquatio, et acrimonia varii generis, in morbis quibusdam aperte deprehenduntur; et tamen partim rara, partim nulla, earum apud Stahlianos mentio reperiunda. Ideoque de his corrigendis minus, ceu decet, solliciti magnam partem medendorum morborum transgrediuntur, vel saltem remediorum invenientium et applicandorum rationes praescindunt.

*De plethora
et spissitudine
humorum.*

§ XVI.

Equidem GOHLIVS, (*in tract. Vrsini Wahrmonds Versuch patriotischer gedanken über den von Vorurttheilen Kranken Verstand,*) pro defendenda Stahlianorum theoria urget argumentum, ab effectibus pharmacorum desumptum. Dicit: medicamenta pleraque non tam immediate in humores, quam potius in partes solidas corporis nostri agere, atque, pro varia harum irritatione, et sensatione, varios etiam motus, tonique mutationem, suscitare. Minime repugno, aliam

Goblii fundamentum de sensatione examinatur.

sen-

sensationem , nervosis partibus illatam , alium quoque motum saepissime producere. An vero omnis sensatio , omnisque motus inde proveniens , animae tribuendus sit ? de hoc valde dubito. Anima enim in sentiendo se *passive* habet , etiam in eo irritationis gradu , a quo ad percipiendum suscitatur. Neque tamen exinde vires assequitur , ut motus involuntarios , vellicationem pharmacorum subsequentes , pro arbitrio vel iudicio suo instituat. Passive potius se gerit , et saltem percipit mutationes motuum , irritationi sponte succedentes. Praeter haec non raro partes nervosae aliquas sensationes et motus ab usu medicamentorum experiuntur , quorum tamen plane nulla in mente perceptio adest. Quomodo itaque anima hos motus instituat , quorum aequae inscia , ac impotens est. Patet exinde Gohliani argumenti infirmitas.

§ XVII.

An Stahlianæ
sententia ad
praxin faci-
at

Plura non solum circa usum remediorum , eorumque agendi modum , hic percensere , sed etiam e scriptis Stahlianorum quaedam allegare possem exempla , in quibus indicationes et medendi rationes cum eorum principiis et suppositis supra recensitis plane non conveniunt. Sicuti vero ex his elucescit , ex praecipuis Stahlianis hypothesebus parum utilitatis in praxin medicam redundare : ita quoque ex antecedentibus satis patet , dogmata Stahlianis propria neque cum veritate consentire , neque ad therapiam facere , ideoque aliis certioribusque sententiis haud praeferenda esse. Equidem celeb. BAVERMÜLLER in praefamine theoriae suae medicae affirmat , STAHLIUM primum extitisse , qui theoriam talem condide-

diderit, quae ad praxin proxime duceret. Verum, si supra allegata eius dogmata fundamentalia probe per-
sitaveris, assensum ipsi dare merito dubitabis.

§ XVIII.

Laude tamen sua haud privandum censeo illu-
strem STAHLIUM, ubi serio inculcat attentionem mo-
tuum naturae in morbis, temperamentorum etiam,
aetatum, consuetudinis, sexus, et idiosyncrasiae dif-
ferentias, nec non haemorrhagiarum, haemorrhoi-
dum, febriumque indolem. Haec enim dum illu-
stravit, et attentam morborum ac symptomatum ob-
servationem, atque studium Hippocraticum, magni
fecit, prolixam vero et diffusam medicamentorum
farraginem parvi habuit; non parum lucis praxi medi-
cae prudenti affudit. Sicuti vero haec dogmata
ex eius hypothefibus, quae proprie Stahlianæ sunt,
non directe fluunt; ita non is solus est, cui haec mo-
nita salutaria debentur, sed alii simul mechanici simile
studium laudare antea consueverunt. Multum enim isti
contulere ad praxeos emendationem, dum fidam
morborum historiam, eorumque decursum naturalem,
magna cum sedulitate delinearunt, genium et nexum
morborum, eorumque differentias, acri cum iudicio
investigarunt, et quibus cum symptomatibus morbi fe-
liciter finiantur, aut quibus cum accidentibus fatalem
exitum fortiantur, fideliter adnotarunt, eum in fi-
nem, ut methodum naturae salutarem imitari, et altera
ex parte cavere possimus, ne morbus periculosa sym-
ptomata admittat, et fatalem exitum post se trahat.
Eo enim redit methodus non modo Boerhaaviana,
sed aliorum etiam mechanicorum therapia, quae ce-
tero-

teroquin Stahlianis suppositis, proprie talibus, ad-
versatur.

§ XIX.

*Transitio ad
examen senten-
tiae Boerhaa-
vianae et so-
ciorum.*

Ad *Boerhaavianam sententiam*, Stahlianæ opposi-
tam, progredior. Ne quis tamen putet, solum
BOERHAAVIVM istam sententiam fovisse, aut invenisse;
monendum, plures etiam extitisse medicos, qui actio-
nes naturales et vitales, vitam, sanitatem, morbos,
crises, aliosque motus involuntarios, non tam animæ,
sed potius *mechanismo corporis animalis*, tribuerunt, unde
etiam cognominantur *mechanici*. Equidem *duplicis ge-
neris mechanici* inveniuntur; alii *vulgares*, alii vero *ab-
soluti*; quorum hi tantum non omnes hominis
actiones *mechanismo corporis* tribuunt, et aliam,
quam hactenus receptam, animæ definitionem ad-
mittunt; illi vero animam vulgari sensu concedunt,
eique tanquam causæ principali et efficienti tam actio-
nes animales, quam omnes motus voluntati sub-
iectos, largiuntur. Postremi huius generis *mechani-
cum* extitisse Illustrem BOERHAAVIVM, supra §.V iam
indicavi. Neque tamen vir iste celeberrimus, qui
omni laude mea maior est, quibusvis mechanicis
omnia, qualiacunque demonstranda susceperint,
coeca fide concessit, nec adeo *mechanici* nomine
compellari amavit. Nam in *praelect. academ. super in-
stitut. suas c. not. celeberrimi Halleri editis*, in *prolegom. § XIX*
not. 8, sub voce mechanices, non nullis mechanicis vitio
vertit, quod experimenta quaedam mathematico-
mechanica, quae tamen haud perfecte ad corpus hu-
manum applicari possunt, ad demonstrandas aliquas
hominis actiones nimium severe et stricte traduxerint.

Imo

Immo expresse statuit: *non omnia phaenomena medica mechanice explicari posse.* Vera haec sunt, immo verissima, utpote qualia, non vero ficta, BOERHAAVIVS ingenua mente profecutus, et libere professus est. Stahliani etiam idem urgent, et ideo, (licet ex altera parte in graviores errores et hypotheses mere fictas incidant,) partim mechanicos derident, quod nonnulli mechanicorum omnia ex causis physico-mechanicis deducenda falso statuunt, partim vero, mechanismum ideo repudiant, quia imperfectam eius ideam et cognitionem habent, nec mechanismum animale a mathematico distinguere norunt. Liceat itaque mechanisimi divisionem aliquam praemittere.

§ XX.

Triplicem potissimum mechanismum in corpore humano obvium invenimus: I) proprie talem, seu *mathematicum*; II) *Physicum*, et analogice talem, scilicet machinarum structurarum ad alia corpora physica, eorumque actiones naturales, transferendo; III) *animalem mechanismum*, tanquam ex iis compositum, pluribusque ad agendum viribus donatum. Ut vero mentem meam plenius exponam, singulas mechanisimi species breviter delineabo. *Mechanismus mathematicorum* is est, qui in mathesi docetur, et ubi ex variis mathematicorum doctrinis, et machinis arte factis, phaenomena quaedam et rationes motuum, in corpore humano obviorum, illustrare, et docere possumus, quomodo ex structura organa quaedam actiones suas exserant. Ita aperte in nobis invenimus organa, ita constructa, ut actiones eorum legibus mechanices proprie sic dictae, itemque optices, hydrau-

*Quotuplex
mechanismus
in corpore hu-
mano invenien-
dus et statu-
endus;*

hydraulices, hydrostatices, pneumatices, et acuiſti-
ces conformia ſint, et ex his magna ex parte illuſtra-
ri, et ope machinarum artefactarum etiam rationes
phaenomenorum quorundam doceri queant. Nec
inficias ire ſolent ipſimet Stahliani, eiſmodi mecha-
niſmum in corpore noſtro variis in partibus reperiun-
dum, et ad matheseos dogmata applicandum eſſe.
In eo tamen vehementer falluntur, erroremque com-
mittunt fonticum, dum ſibi aliisque perſuadent, me-
dicos mechanicos omnes actiones et accidentia homi-
nis ex mathematico-mechanicis principiis deducere
velle. Equidem ambabus concedo manibus, ex ſolo
mechanices huius fonte vitam et actiones naturales
minime deduci poſſe, eoſque medicos, qui funda-
menta illuſtrandi tantum in his quaerunt potentiis
mechanicis, vehementer hallucinari. Aſt in prima
mechanismi ſpecie haud acquieſcendum, ſed ad *phy-
ſicum* progrediendum eſt. Sicuti enim generatim me-
chanismus in eo conſiſtit, ut ex varia materiae diſpo-
ſitione, ad certos motus apta, certi ſequantur effe-
ctus, et ita rationes effectuum in ſtructura machina-
rum idonea merito ponantur et quaerantur: ita a me-
chanismo mathematicorum per analogiam ad mecha-
niſmum phyſicum argumentari, nomenque trans-
ferre liceat. Dubium enim non eſt, quin corpora
phyſica rationem actionum ſuarum inſitarum, natu-
ralium, et ſpontanearum, in ſua intrinſeca compo-
ſitione et forma, ſtructura, et connata diſpoſitione,
reconditam habeant, ideoque cum machinis facile
comparari queant. Ita v. gr. cur aqua ſit fluida, lim-
pida, penetrans, ſolvens, aliisque qualitatibus dona-
ta, iſtarum virium cauſa in ſtructura eius naturali et
ſpeci-

specifica latet. Pari modo cum actionibus naturalibus aliorum corporum inanimatorum comparatum est, ita ut terra, aër, salia, oleaque, tam forma interna, externaque consistentia, quam reliquis viribus agendi, inter se differant. Siquidem in qualibet diversa istarum rerum specie diversa quoque structura et vis agendi inest. Quamvis autem arcana valde et adeo abscondita sit haec intima physica corporum structura, ut sensuum nostrorum aciem subterfugiat; attamen ex hac ipsa fabrica vires eorum et actiones prognasci vel inde patet, quod, eadem conformatione v. gr. per putredinem, fermentationem, ignem, vegetationem, etc. mutata, etiam vires et affectiones corporum mutantur, non minus ac in mutata vel corrupta machina non idem effectus, quam in integra, reperiendus, utpote ex quo analogia mechanismi physici cum mathematico satis elucescit, licet hic per artificem constructas vel saltem artificiose applicatas et imitabiles, ille vero sua sponte et per naturam natas, ac per artem inimitabiles, machinas exhibeat, quae scil. connatas agendi vires habent, simulac hanc formam adeptae sunt. Sive enim solutionem, fermentationem, putredinem et praecipitationem, sive elasticitatem, flammam, magnetismum, sonum, aliaque phaenomena intuearis; tales invenies operationes, quae a forma corporum intrinseca pendent, qua mutata, etiam illae alterantur, postquam DEVS cuilibet corpori, specificè formato, specificas quoque agendi vires indidit. In eo enim consistit *natura corporum physicorum*, ut, pro varia eorum dispositione et intrinseca forma, varias ad agendum facultates a DEO receperint. Corpus animale ex varii generis

partibus, mechanismo physico instructis, compositum est, quarum quaelibet species pro diversa qualitate sua propriis agendi viribus instructa est. Neque tamen hae partes constitutivae animantium, promiscue inter se mixtae, istud efficerent, ut animalia inde efformari, vivere, nutriri, se- et excretiones, aliaque sexcenta praestare possent, nisi nova et specifica, quae omnem artem et intellectum humanum superat, ratione in formam animantis redactae, et artificiosissime, atque, pro cuiusvis animantis diversa specie, specificè compositae essent. Sicuti vero alia fabrica alios fines et usus habet: ita mirum non est, sanguinem, carnes, aliaque organa animantibus propria, qualia extra animale speciem nusquam invenienda sunt, praeter vires physicas, etiam longe alios propriosque motus exercere posse, quos quidem nulla alia corpora, a structura animali aliena, praestare valent. Ideoque *mechanismus animalis* in eo consistit, ut non modo ex physico quodam et mathematico mechanismo compositus, sed etiam peculiari animantibusque propria conformatione a DEO donatus sit, ita ut vitam, nutritionem, sanitatem, morbos, crises, se- et excretiones, aliasque plures actiones exercere, ac tam diu prorogare valeat, quamdiu leges istae vitae salvae manent. Sicuti enim omnium corporum actiones certis legibus, quas rerum omnium Conditor condidit, subiectae sunt: ita quoque animantium vires et actiones regulis quibusdam et conditionibus, quibus vita aut sanitas continuetur aut finiatur, adstrictae sunt. Si enim DEVS vastissimum opus mundi ita construxit, ut per multa secula partes eius grandiores ordinate et secundum normam, ab ipso

Ipso statutam, moveantur, viresque suas ac motus exerceant; si etiam plantas creavit, quae vegetant, nutriuntur, fructus et semina, quibus multiplicentur, suo ordine, et pro speciei qualitate iusto tempore proferunt; curni idem Omnipotens Creator animantibus vim tribuere potuisset, ut vitam vivant suam, ut nutriantur, generatione specifica multiplicentur, sentiant, moveantur, aliaque ipsis convenientia peragant? Hominem inter et animantia magna conspicua est convenientia structurae et actionum, quae ad vitam, nutritionem et generationem spectant. Sanguinem enim habent, eiusque circulum, viscera, et humores menstruos solventesque monstrant, atque mortem cessante sanguinis circuitu omnes experiuntur. Si animam rationalem immortalemque soli homini addas, una cum forma humano corpori conveniente; satis habes, qua homo reliqua animantia longissime antecellat, imaginemque DEI exhibeat. Quamvis autem mechanismum animale non exacte, nec magis, ac physicum aliarum rerum, ingenio et mente assequi valeamus; ex anatomica tamen animantium investigatione de evidente organorum constructione certi evadimus; fluidorum etiam vires et qualitates in digerendo, coquendo et alterando, sic satis experimur, atque convincimur, partibus hominis, sive fluidis, sive solidis, male constitutis, actiones corporis turbari. Porro perspicimus, mechanismum hunc animale idem esse ac naturam hominis, seu peculiarem eius et connatam dispositionem ad certos motus praestandos. Ita nempe BAGLIVVS oper. p. 166. naturam definit: *Naturae, inquit, nomine non intelligo sapiens quoddam phantasma, quacunque vagans, et consilio singulari*

singula dirigens ; sed complexum quendam generalem causarum naturalium , quae licet consilio destituantur ; effectus tamen suos pariunt iuxta leges a summo Conditore inditas , atque ita ordinate , ut quasi summo regi consilio videantur. Idem laudatus Autor p. 5. causam et formam morborum non animae , sed naturae , seu mechanismo animali , tribuit , affirmans : haec omnia nulla mentis ope , sive independentem a mente peragi. Conf. Canon ultimus 60 , oper. Bagliv. p. 488. Ad hunc itaque mechanisum , e triplici fonte compositum , medicus respicere debet , siquidem ad illum etiam celeberrimus BOERHAAVIUS animum applicuit,

§. XXI.

*Fundamenta
doctrinae Boer-
haaviana
examinantur.*

Reliquum est , ut *fundamenta Boerhaaviani systematis* nunc exponam et examinem. Non possum non laudare fidum candorem et ingenuam huius viri mentem , quod ea libere confessus sit , quae vera , quae vero dubia , aut plane falsa sint. Nil pro vero statuit , nisi quod experimento doceri et ratione probari possit. Nec puduit ipsum , fateri ea , quae ignoremus , simulque docuit , nos multa latere , multaque nec sensibus , nec animo , nos assequi posse , pluraque ignota permansura , quorum tamen scientia et cognitio nihil utilitatis afferret. In primis experientiam et rationem sanam , nullis praecudiciis obrutam , ceu fundamenta immobilia doctrinae suae posuit , sollicito cavendo , ne dubias hypotheses pro basi assumeret , nec figmentis quibusdam et glaucomate alios deciperet. Argumenta eius petita sunt ex anatomie , chemiae , physicae , matheseos , et physiologiae , itemque ex observationibus in corpore animali tam sano , quam infirmo , adnotatis , iisque quotidie per-

ex-

experimenta comprobandis. Eo usque in cognoscendo morborum quorundam genio feliciter penetravit, ut abditas genuinasque eorum causas acri suo, quo excelluit, iudicio eruerit, easque tam a symptomatum forma, quam ab effectu remediorum, magis distinxerit, morborumque verum sanandorum modum docuerit. Quae denique investigatione digna, nostra vero aetate nondum e cognitis rebus satis dilucidanda, reperit, tempori et industriae virorum iudicio praestantium reliquit, commendavitque indaganda, non dubitans, fore, ut dies futurus in scientia medica et physica maiorem lucem daturus sit. Studium Hippocraticum et lectionem antiquissimorum medicorum, qui artem salutarem, sine curioso absconditarum causarum scrutinio, venustaque sua simplicitate amabilem, et nullo fuco deturpatam, exhibuerunt, meritis extulit laudibus, suamque ita adornavit theoriam, ut non tam vanis et inutilibus disceptationibus implicetur, sed potius artis nostrae tironem manu ducat ad prudentem et providam therapiam addiscendam, dum morbos in varias dispescuit species, iisdemque signa propria, prognoses genuinas, et cautam sanandi methodum, addidit. Haec firma posuit medicinae fundamenta BOERHAAVIUS, ideoque facile aequum feras iudicium, quid de doctrina eius sperandum sit in praxi medica. Tale enim systema, quod novitatem, aut nominis famaeque captationem, sciret, condere noluit; sed quod non modo cum veteribus conspiraret, sed etiam assensum ex scriptis aliorum praestantissimorum medicorum v. gr. DVRETI, SANCTORII, HARVEI, BAGLIVI, BELLINI, SYDENHAMII, WEDELII, BERGERI, FRID. HOFFMANNI, aliorumque excell-

cellentium virorum, facile reportaret. Iam recensionem et examen dogmatum Boerhaavianorum adnectere deberem. Quoniam autem illa, quae Stahlianis adversa sunt, supra § V iam recensui, reliqua autem cum illis et inter se catenae ad instar cohaerent, et vix sine labe divelli possunt; ideo B. L. ad scripta eius legenda, et prout melius placebunt, relegenda, ut dimittam, nunc brevitatis studium iubet. In illis enim talia offendet fundamenta, quae veritatem tueantur, et sanum mechanismum non modo confirmant, sed etiam ad praxin rationalem, felicemque therapiam, proxime ducant. Stahliani quidem in magistri sui operibus, quae alii obscura et intellectu valde difficilia nominant, se plus perspicuitatis invenisse autumant, quam elegantissimis in libris BOERHAAVII, eiusque aphorismis, concinna brevitate verborumque planitate non minus, quam veritate et evidentia, conspicuis; ideoque, dum physis et anatomicis demonstrationibus minus, quam imaginariis animae potentiis, delectantur, et in his magis, quam in illis, versati sunt; mirum non est, cur mechanica scripta aut minus intelligant, aut non ament. Quamvis autem concinna BOERHAAVII brevitates, quae tot pondera, quot verba habet, nonnullis haud faciat satis; adsunt tamen felices et perspicui eius interpretes, qui veritates eius maiori lumine collustrarunt. Quo nomine non modo in theoreticis *praelectiones academicae in proprias institutiones, cum notis celeberrimi HALLERI editae*, merito laudandae; sed in practicis etiam aphorismis maximi habenda, et prae aliis commendanda sunt *Commentaria* Perillustri GERARDI VAN SWITEN, utpote qui, ceu alter redivivus magnus Boerhaavius, ob

con-

consummatae eruditionis et artis in sanando excellentiam, famamque haud intermorituram, ad summum medici honorem et dignitatem prae aliis totius Romani imperii medicis excelsam evectus, curam valetudinis AVGVSTI AVGVSTAEque summa cum laude gerit. In his enim et ubertatem doctrinae, et praestantiam therapiae, collatam abunde invenies.

§ XXII.

Iam si utraque dogmata inter se comparamus, et *Conclusio.* aequo iudicio ponderamus, Stahlianam sententiam, eam nempe, quae ipsi suisque asseclis propria est, ita comparatam videmus, ut tam veritate, quam usu in praxi medica, longe inferior, minusque praestans sit, quam Boerhaaviana et mechanica genuina. Id ipsum multis medicorum suffragiis comprobare, pluribusque argumentis adstruere, haud fuisset difficile; verum, quia non tam auctoritate aliorum virorum, quam rationis consensu, veritatem aestimandam censui; hinc brevitatis amore ductus, filum dissertationis abrumpo, eidemque impono

F I N E M.



CLARISSIMO NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO
DOMINO
FRANCISCO EVGENIO IHLIO
ART. LIB. ET PHILOS. MAGISTRO
HONORVMQVE MEDICORVM CANDIDATO
DIGNISSIMO
SALVTEM ET FELICITATEM

D.

IOHANNES NICOLAVS VVEIS
MED. D. ET P. P. H. T. FAC. MED. DECANVS.

M*Ea non indiges laude , CLARISSIME DOMINE
MAGISTER , CANDIDATE DIGNISSIME!
quia TVA TE virtus , doctrina et industria , iam
satis commendant. Testimonio TIBI esse poterit praesens , quod
exhibes , specimen inaugurale , quanto studio arcana rei me-
dicæ scrutatus sis. Per omne istud tempus , quo hac in Acade-
mia versatus , meoque hospitio et institutione usus es , nihil
fecisti reliquum , quin in id incubueris , quod scientiam in
arte salutari vel confirmare , vel augere et ornare possit.
Ideoque factum est , ut non modo in examinibus optime steteris ,
sed etiam supremos in medicina honores Academicos , qui TE
expectant , condigne promerearis. De his itaque non modo
TIBI , sed etiam OPTIMO PARENTI TVO , Viro doctrina
et arte medendi excellentissimo , fautori meo maximopere
venerando , ex animo gratulor , DEVMque precor ,*

ut

ut pluribus honoris et fortunae accessionibus in dies magis magisque auctus et ornatus, spem, de TE conceptam, et impleas feliciter, et industriae virtutisque fructus capeffas uberrimos! Siquidem de prospero rerum TVARVM successu, et de fortuna, meritis TVIS digna, nunquam non sincera, quam amo, mente laetabor. Vale! Dabam Altorfii, d. XVII Iunii, A. S. R. CLO DCCXXXVIII.

CLARISSIMO DOCTISSIMOQUE DOMINO
FRANCISCO EVGENIO IHLIO
PHILOSOPHIAE MAGISTRO ET MEDICINAE
CANDIDATO DIGNISSIMO

S. P. D.

D. IO. IAC. KIRSTEN, P. P.

QVanta humanitate me exceperit PARENS TVVS,
Vir in arte salutari sane uersatissimus, et Fautor
mihi nunquam non colendus, cum ante plu-
res iam annos mihi contingeret, cum beato BAIERO,
tunc primario meritissimoque huius Academiae Me-
dico, thermas uisitare Carolinas, uix uerbis exprime-
re possum. Non solum enim talem se mihi praestitit,
ut nihil fieri potuerit amantius, nihil beneuolentius:
uerum etiam tantam in me posuit fiduciam, ut TE
mihi inprimis, filium suum optimae spei, cum acade-

miam nostram adires , commendaret. Verum haec omnia non tam iucunda , tamque accepta mihi sunt , quam quod Illi nunc gratulari possum de filio , tam egregiis uirtutibus praestantibusque scientiis ornato , publicoque consensu omnes laudes , et omne doctrinae uirtutisque praemium promerito , ita , ut exemplo aliis philiatris ciuibusque academicis esse potuerit. Probat enim, CLARISSIME DOMINE CANDIDATE, Tua uita , probant satis luculenter eximia eruditionis tuae haud uulgaris documenta , quantum ualeat prudens educatio , et ad studium medicum praeparatio , quantum ualeat frequentatio diligens recitationum academicarum , et priuata industria , insatiabilisque discendi et in dies proficiendi cupido. Nolo igitur Te admonere , ut insistas tam laudabili uitae studiorumque curriculo : probe enim noui , Te magis opus habere , ut nimiam assiduitatem aliquantum temperes ; quam ut maiore calcari indigeas. Hoc saltem ex animo precor , ut Numen diuinum etiam in posterum Tuis studiis laboribusque uolens propitiumque adsit : sic nullus dubito , Te aliquando fore Medicum optimum , multorumque hominum saluti natum factumque. Sicuti uero ego omnium rerum prius , quam Tuae industriae consuetudinisque , obliuiscar ; ita confido , nunquam etiam futurum , ut ex Tuo animo effluam. Vale ! Dab. Altorf. d. xvii Iun. An. c1o1occcxxxviii.

Monfieur ,

et tres honoré Ami !

IL est tout a fait naturel , Monfieur , et une chofe confirmée par une experience prefque univerfelle , que les vertus , de même que les vices , s'heritent de pere en fils , et qu'il y a certaines familles , dont la vertu fe plait a former elle-même les perfonnes , qui en defcendent , comme , au contraire , il y a d'autres , qui ne produifent , que des vicieux. Cette verité , dont les exemples font fi frequents , fe confirme aujourd'hui , Monfieur , auffi par le Votre : Monfieur Vôtre Pere a tout lieu de fe feliciter , d'avoir produit , en Vôtre perfonne , un fils , qui Lui refemble fi parfaitement , et qui , en imitant les vertus d'un Pere fi accompli , ne feroit autrement , que Lui faire gloire et meriter l'approbation de tout le monde.

L'honneur , que Vous m'avez fait , Monfieur , de me ranger au nombre de Vos amis , m'en a rendu temoin jufqu'ici , et m'a donné l'occafion , d'admirer de plus près , ces rares talens , et cette erudition fi profonde , qui nous eft un guarant tout a fait fur , que nous Vous verrons briller un jour entre les plus grands favans de nôtre fiele. Les honneurs , que Vous recevez aujourd'hui , en font le premier degrés , qui feront fuivis d'une infinité d'autres , auffi
tôt ,

tôt , que Vous reverrés Vôte chere Patrie , qui attend avec impatience un citoyen , qui un jour Lui fera tant de gloire.

Permettés , Monsieur , que je Vous en felicite , et que je Vous dise en peu de mots , que mes souhaits egalent tout a fait Vos merites , et que Vos merites egalent toutes les prosperités imaginables. Pour ce qui me regarde , Monsieur , j' ai l' honneur de Vous assurer , que je ne cherche rien avec plus d' empressement , que l' honneur de Vôte amitié et de Vôte bienveillance , Vous assurant en même tems , qu' il n' y a personne , qui se puisse dire avec plus de justice et avec une amitié plus parfaite , que moi

Monsieur ,

et très honoré Ami

*Vôte très humble et très dédié
Serviteur*

**C. F. E. BARON DE
LYNCKER.**